



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

II. Gloria Dei duplex.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

quibus benè vult Deus. Alii eos intelligunt homines bonæ voluntatis, qui bonam in se habent voluntatem, & conjunctam cum omnium voluntatum optima: neque enim bona esse voluntas potest, nisi divinæ hæreat. Qui sic sunt comparati, ut exemplo Christi nascentis velint quod Deus vult, dant Deo gloriam, quanta hîc dari potest. Sibi pacem comparant, id est abundantiam bonorum spiritualium, quam pacis nomine apud Hebræos significari solitam, notum est, & nos alibi dicemus. Tranquillitatem denique internam & quietem animi possident, quanta usquam in hac mortalitate obtineri potest.

II. *Gloria Dei duplex.* Duplex Gloria Dei est: una naturæ ejus insita, & coæva: altera extrinsecus & cum temporum fluxu adveniens: sive, ut modò loquimur, Essentialis una, & interior: Accidentaliter altera, & exterior. Essentialis & interior est, quam Deus dat ipse sibi, sese intimè ac perfectè cognoscendo, & tanti faciendo, quanti est; estque hæc gloria

gloria æqualis ejus merito, quia infinitus infinitum comprehendit, claramque habet sui cum laude amorève notitiam. Accidentalibus & exterioribus est, quæ Deo à creaturis intelligibilibus defertur, cum Deum cognoscunt, cognitumque honorant, actibus vel internis tantum, vel etiam externis. Nihil autem per istam extrinsecus advenientem gloriam Deo accedere, manifestum est: cum ante creationem intelligibilium mentium, æquè ac modò, magnitudinis omnis summæque gloriæ compos fuerit. Cognoscebatur enim ab intellectu infinito, & amabatur ab infinita voluntate, id est à seipso: cui cognitioni & dilectioni quidquid addatur, nihil tamen addetur, quia finitum additum infinito non facit majus. Et hac sententia intelligendum istud Psalmi 15. *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Deus ideo verè Dominus est, quia sibi sufficit solus, re nulla indiget extra se, ἀὐταρξὺς & seipso contentus.